CAP. VIII.

Secundo, quod Medicamenta magnifici tituli ab aliis fiant ex opinione hominum precioſis, cum alias vilioribus & vernaculis curari iidem morbi poßint, ſed non ita gratis.

PRæter iam dictum abuſum & alius inoleuit, tantundem damni ægro, lucri medico conferens, ſub alio tamen titulo: Illi numero & quantitate remedium congeſtorum, hi qualitate & precioſitate peccantes de aliorum pelle & loculo ludunt: Animaduertunt enim, quæ rara aut in æſtimatione ſunt, eſſe omnibus acceptiora aliis in copia exiſtentibus & vilioribus, non quidem propter horum dotes aut qualitates minores, illorum maiores, ſed quia ita conſuetudo & opinio hominum poſtulat.

Vnde Galenus non ſine ratione occul-